



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

Elegia VI. Æstus Magdaleanae euntis ad Christvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

ELEGIA VI.

*Eftus MAGDALENÆ euntis ad
CHRISTVM.*

ELOQVARI incertum gemino cor distrahit
hamo;

Hinc amor, inde rapit frigida cura timor.
Ambo pari damno, votis discordibus ambo,
Cor gelat hic, alter flammat, uterque necat.
Impare sic æstu glaciemque alternat & ignem,
Qui flagrat algenti mistus amore timor.
Hinc cor frigidius Scythicâ niue durat, & alget;
Acrius Aernæo deflagrat inde rogo.
Stat par lucta, pari luctatur uterque periclo:
Vincere pugnat amor, pugnat & ipse metus.
Ut flammæ nil flamma, nihil cedrus obuia
cedro,

Nil Austro Boreas, nil aqua cedit aquæ;
Sic ubi iusta pari conspirat in arma duello,
Nescia res vinci, vincere nescit Amor.
In varias sese quæ mens secat anxia curas;
Magdalæ ambiguo statque labatque gradu.
Stabit, an ibit? amor trahit hinc, timor abstrahit
illinc:

Cor miseris scindit ille vel ille modis.
Quò rea se flectet? mulier temeraria Numen
Ambiet, ut necat vincula grata Deo?
Bullatasque fores exscindet onante securi,
Affundens hilari tristia pocula mero.
Non ea mens, nec tanta suis fiducia votis:
Spes tamen impellit, quò vetat ire timor.

Nec

Nec tecum, aut sine te potis est rea viuere IESV:
 Das animam, & dubio munere dando rapis.
 Ah! cui nunc oreris vita alter Eous, an idem
 Ambiguo in nimbo mortis eclipsis eris?
 Quād diu adhuc trepidam lis diuidet anxia
 mentem?
 Perpete sub luctā viuere, nōnne mori est?
 Morte magis nocet, haud vitalem viuere vitam.
 Mors vnam, innumeras vita dat ægra neces.

ELEGIA VII.

*Amor diuinus fugat monstra conuinialia
 MAGDALENÆ in limine Simonis
 occurrentia.*

OBNIXI tandem viætrix animosa pudoris
 Ut sterit æratas Magdalæ ante fores,
 Ilicet intremuit custos in limine Ianus,
 Quique cliens Iano, ianuaque ipsa labat:
 Anxiaque attonitis fugere repagula valuis;
 Fracta triumphali tuba pede claustra iacent.
 Audiuit strepitumq; seræ, strepitumq; que catenæ,
 Latratumq; canis, Magdaleosq; pedes,
 Comus, ut tum fortè sales miscebat Iaccho:
 Emicat attonito limine sollicitus:
 Cui dextrâ fax viua micat, fax cincta corollis,
 Et sedet in lœuâ tinnula lingua chely.
 Lutea palla viret nitidis intexta smaragdis,
 Et picturatis stat coma vincta comis.
 Diues opum, diues pictai vestis & auri,
 Auratum sequitur ludicra pompa ducem.
 Picta sinum gemmis, gemmis radiata capillos

Hic